DISSERTATIO INAUGURALIS [DE HYPOCHONDRIA ET HYSTERIA] MESSEDAGLIA...

Andrea Messedaglia

25

DISSERTATIO INAUGURALIS

MESSEDAGLIA ANDREAE

VERONENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINI

1842.

DE HYPOCHONDRIA ET HYSTERIA

Hypochondria est ille morbus qui attentionem aegri in statum suum internum, praecipue in adparatum digestorium dirigit, et qui varias fictiones et falsos conceptus producit de morbis, qui serius revera oriuntur.

Hysteria etiam attentionem adauctam praesefert, quae vero non adeo ad statum suum, sed potius ad res externas est directa, praecipue ad ea, quae ad conservationem speciei spectant, ad instinctum sexualem. In hypochondria vero attentio maxime ad conservationem individui dirigitur.

Ex his morbis fixis reactio aliqua organismi oritur, fortior vero in hysteria est, et ibi febris typum intermittentem insignem offert.

Difficilis est accuratior descriptio nam tot symptomata adsunt, quae simul fere omnibus in morbis occurrunt, quare *morbus proteiformis* hypochondria vocatur.

Dubois hypochondriam dividit in stadium *prodromorum* et in stadium *evolutionis* et hoc ultimum in duas periodos.

a) periodus turbarum fictarum.

b) periodus turbarum realium.

Accedit adhuc tertium stadium, nempe acme, ast hoc raro adest.

In prodromis adest plerumque aliqua mentis con-

ditio incongrua, animi pronitas ad pathemata sine causa, excandescentia, salacitas, propensiones variae mutatae e. g. circa familiam, praeterea adest plerumque aliqua digestionis alteratio.

Morbo evoluto, primo dubium oritur de salute propria, quare attentio maxima in eam, quoad cibos, vestes, potus, habitationem atque omnia quae in salutem influere possunt; praeterea attentio in internum, in effectus illarum potentiarum, praecipue in mutationes tubi digerentis; res nullius momenti iliis adscribuntur, et si minima turba oritur, jam multum metuit hypochondriacus. Circa statum et faeces maxima attentio versatur; earum considerat colorem, consistentiam et immo pondus. Si alvus non bis de die mota est, infelix est. Tali modo revera turbae digestionis oriuntur, digestio fit lenta, ructibus plus minusve acidis comitata, quod comprobat innervationem vitiatam esse, et morbus qui prius erat moralis, alias invadere functiones tendit. Adsunt borborygmi, alvus est obstipa, tunc hypochondriacus magis attentus fit, et de malo suo certior redditur: illico libros medicos consulit, plerumque populares, deinde medicos ipsos adit, cum iis lubenter conversatur. Mox morbum aliquem peculiarem sibi excogitat, plerumque inflammationem aut infarctum, aut vitium organicum, uti scirrhum ventriculi. Multi morbum quaerunt in faucibus, quare omni momento speculum adeunt; alii in praecordiis eum invenire credunt, quare continuo eam regionem manu tangunt, ut palpitationem detegant; pro timore atque attentione non respirant, quare revera palpitationes oriuntur, generatim non dolorificae, frequentes, interdum etiam fortiores, quae a statu morali individui dependent, sed desunt in ipsis dolores pungentes qui pericarditidem partialem medico experto denotant, quae lente decurrit, et quae suae existentiae vestigia in cadaveribus relinquit. Hypochondriaci palpitationes duplicem agnoscunt causam, influxum anxietatum immediatum, quas ipsi de cordis functionibus habent, quae augentur quo magis palpitationes intensitatem adsumunt majorem, et difficultatem circulationis in pulmonibus, quae ab aegrorum anxietate producitur, cujus est effectus obstaculum motibus diaphragmatis et musculorum intercostalium ponere. Saepe hypochondriaci con-

queruntur de arteriae caeliacae pulsationibus, quas ipsi ad aortae ventralis ancurismata referunt, quaeque a laesionibus organi centralis circulationis dependent, et sunt manifestiores, quia hypochondriaci abdomen est depressum et concavum. Nonnulli in respirationem maxime attendunt, ex minima raucedine aut dyspnoea, ad tubercula jam concludunt, aut immo ad phthiseos stadium provectum.

Propter continuam adplicationem sensuum et aeternam circa eorum phantasmata cogitationem, nascitur hinc inde sensuum externorum alienatio aliqua, e. g. aurium susurrus, sensibilitas oculi adaucta, aut dolor capitis, qui nonnullis in casibus fixus atque limitatus adparet, ita ut clavum hystericum simulet; differt autem quia iste modo repentino ingruit, et talis ut aegra clamores emittat; hic dolor aegrarum attentionem reclamat, illuc attentio reclamat dolorem.

Progrediente morbo revera illae adfectiones in scenam veniunt, quas hypochondriacus sibi imaginavit, partim ob nervorum influxum, partim ob curam perversam quam in usum trahit, refugiens plerumque ad remedia heroica: hinc gastero-enteritis in scenam prodit lenti decursus. Organa interna, uti ventriculus, cor, pulmo, cerebrum non tantum laesiones offerunt functionis, sed incipit etiam eorum textus alterari, cum adsit organicarum alterationum causa fortior, status nempe habitualis tristitiae, quam illorum idearum natura necessariò alit.

Post materiales tubi intestinalis laesiones illae etiam systematis circulatorii in scenam prodeunt; palpitationes quae in secunda morbi periodo functiones tantum laesas ostendebant, sub majori morbi evolutione, varias organicas alterationes producunt, vel latentes atque partiales pericarditides, quas comprobant adhaesiones intra pericardium et cor a Lieutaud inventae, vel cordis hypertrophiae de quibus in Mascagni et Bonnet operibus exempla extant. Mox alterantur etiam secretiones praecipue in visceribus abdominalibus; alteratur: 1. secretio propria membranae mucosae; 2. exhalatio arteriosa. Quamprimum siccitas plerumque adest in membrana mucosa, alias vero fluxus aliquis fluidi mucosi. Quoad exhalationem arteriosam, nascitur transudatio fluidi serosi in cavis serosis, aut

evolutio gasis etiam in membrana mucosa, quare tympanitis, ructus, flatus; ob hanc flatulentiam motus peristalticus etiam alteratur, plerumque lentior fit, quare alvi obstipatio habitualis. Dum morbus non summum gradum attingit, hypochondria magis retracta quam turgida sunt, quare arteriam caeliacam pulsare sentire licet.

In stadio acmis vero vegetationis symptomata praevalent, nascuntur infarctus, scleromata, scirrhi, indurationes, tubercula, arteriarum ossificationes, quae omnia iterum ipsam hypochondriam augent, quamquam ejus effectus sint.

Differentias in hypochondria invenire difficile est, quia una species in alteram abit. Nunc est diffusa, nunc limitata, nunc versatilis, nunc constans et torpida, quae ultima virium exhaustionem secum fert, quae exhaustio vero non est vera, nam contra stimulos improvisos aeger reagit. Diffusa et versatilis est frequentior.

Limitata distinguitur in species communiores et in extraordinarias; ad illas pertinent: *hypochondria gastro-enterica, pneumonica cardiaca, cephalica, genitalis.* Ad extraordinarias referimus *hypochondriam hydrophobicam* ubi aegri a cane hydrophobico se morsos esse credunt, et *hypochondriam cholericam*; regnante cholera tales credidere se hocce morbo correptos esse sine minima causa.

An crises habeantur hujus morbi dubium est, saltem sunt imperfectae et partiales, si essent perfectae et totales, morbus saepius sanaretur; scimus vero morbum sat raro, et solum per animi mutationem in sanitatem transire.

Hysteriasis etiam prodromorum stadium et evolutionis offert. In primo observatur : animi versatilitas, risus et fletus sine causa, ut aegrae ipsae mirentur, tristitia cum hilaritate, strangulatio in gutture, bolus ibi ascendens et descendens. Morbo jam evoluto attentio adest minor in sanitatem propriam, ut in hypochondriacis, magis ad res externas, praecipue ad ea quae amorem et instinctum sexualem respiciunt; sunt ergo magis attentae ad speciei conservationem, quam ad conservationem individui, praecipue in medicum oculos dirigunt et eum excruciant.

In primo gradu versatilitas minor est ac in secundo; sic variant etiam sensationes dolorosae. In primo gradu functiones solum alterantur, in secundo etiam vegetatio peccare incipit. In primo gradu motus morbosi partim a voluntate adhuc dependent, et ab ea etiam coerceri possunt; in secundo non amplius, ibi verae convulsiones adsunt. Sub accessu sui conscientia generatim non amittitur; sensus profundus constrictionis persentitur in abdomine, qui ad pectus elevatur et ad collum, quod videtur tumefieri; aegra acutos emittit ejulatus et statim musculi omnes convelluntur. Facies varias assumit expressiones, maxillae fortiter allidunt; carotides magna vi pulsant; venae jugulares valde tument; abdomen est saepius elatum; motus convulsivi sunt fortes, celeres et magis extensi; cordis palpitationes fortes ac tumultuosae; arteriarum radialium ictus notabili micant diversitate. Accessus durat per aliquot horas.—In primo gradu accessus sunt evidentes minus, minus regulares; in secundo fiunt magis periodici, epilepticis similes et suas celebrant periodos. Asphyxia etiam in hysteria magis evoluta nonnunquam observatur; exempla extant tales foeminas per tres dies neque pulsum, neque respirationem prodidisse; quare singularis cautela requiritur respectu tumulationis hystericarum. Respiratio etiam vario modo mutatur, praecipue ubi globus hystericus adest. Omnes fere aestri venerei majorem gradum offerunt; in simulationem pronae sunt aegrae et medicum fallunt. Menstrua sunt irregularia, abdomen haud raro tumescit, saepe subitanee, iterum deinde concidit, quod a flatibus derivandum est.

Crises sunt etiam imperfectae et partiales; per menstrua maxime fiunt; si haec regulentur, saepe sanatio sequitur.

Hysteria dividitur in communem et extraordinariam. Ad comunem pertinet, *gastro-enterica, pulmonica, cardiaca, cephalica,* quae ultima sub forma haemicraniae seu clavi hysterici adparet. Species extraordinariae sunt: *ecclamptica, lethargica, somnambulica,* etiam *cholerica,* similesque.

Comparatio symptomatica inter hypochondriam et hysteriam.

Hypochondria utrique sexui est propria sed praecipue maribus; inter vitae annum trigesimum et quinquagesimum communis.

Hysteria solis foeminis propria, urget intra pubertatem et menstruorum cessationem.

Invasio morbi lenta in prima, insultus morbi subitaneus in secunda.

Hypochondriae prodroma.

Levis de propria valetudine anxietas, adtenta observatio organorum, quae sub sensibus cadunt et faecum. Sollicita nonnullarum hygienis normarum observatio; cupiditas libros medicos legendi, aut cum medicis confabulandi; status tristitiae habitualis, omnibus voluptatibus adversatio propter levis valetudinis mutationes.

Hysteriaseos invasio a vivis determinata passionibus, subitanea vel a prodromis per aliquot horas nunciata, hilaritas vel involuntaria tristitia, fletus absque causa, risus fere convulsivus, suspiria profunda, sensus distensionis in membris, constrictionis sensus in faucibus etc.

Symptomata hypochondriae tres efficiunt periodos.

Periudus prima.

Morales anxietates continuae a consuetis suscitatae sensationibus. Praeterea cunctae attentionis aegri concentratio de morbi proprii investigatione. Exaltata phantasia continuo circa ipsum morbum versatur. Dominante errore, gravis ac extraordinariae adfectionis electio, nam omnibus adfectionibus, de quibus vel audiunt vel legunt, se laborare adfirmant ac revera ipsi credunt. Nunc aegri proprias ideas in vias digerentes convertunt, et tunc abdominis laesiones praevalent, (monomania hypochondriaca) nunc in organa circulationis atque respirationis (hypochondria pneumo-cardiaca), nunc in cerebrum (hypochondria encephalica). Hinc attentio infra sensationes et remedii investigationem

divisa; hinc avida librorum medicinae lectura, mulierculis atque agyrtis fides; regimen omnino stimulans vel debilitans, usus remediorum incongruus, et hinc sensibiliores laesiones in viis digerentibus, circulatoriis et respiratoriis sensitivis. Moralium anxietatum augmentum. — Reditus ad salutem possibilis.

Symptomata hysteriaseos duos offerunt gradus.

Gradus primus.

Sensus ponderis in membris, torpor, sensus distensionis sensibilior; profundus constrictionis sensus ad varias abdominis regiones ascendens, abdomen tumidum vel retractum, umbilicus intro trahitur; globus hystericus, pectoris constrictio, suspiria continua, insatiabilis respirandi necessitas, palpitationes, dyspnoeae, pectoris constrictionis augmentum, strangulatio, sensatio corporis extranei in gutture adhaerentis, colli tumefactio, jugularium turgescentia, carotidum ictus; suffocatio, haemicrania, clavus hystericus, facies vivida, maxillarum collisio, musculorum motibus inservientium voluntaria atque generalis rigiditas, paullo post relaxatio, hinc nova plus minusve longa rigiditas, membrorum contorsio. In paroxysmo adhuc sui conscientia remanet. Convulsiones leviores esse et magis in membrorum flexione et extensione constare solent.

Reditus ad salutem possibilis.

Periodus secunda.

Nevrosium variarum evolutio a causis generalibus et a causis primae periodo supervenientibus suscitata, morales anxietates ad gradum altiorem elatae, et nulla sub hoc respectu intermittentia; brevis distractio; inde symptomata remittunt tantum vel et continent. Timor mortis continuus. Si viae digerentes nevrosi corripiantur, symptomata dysphagiae, gasteralgiae, enteralgiae etc. alvi obstipatio insurgunt. Si organa circulationis, palpitationes, dyspnoeae, arteriarum ictus inconsueti, susurrus, sibilus, detonatio in scenam veniunt. Si generales sensationes, inertia, prostratio, debilitas, sudores, dolores vagi etc. facultates mentales laeduntur, alienatur tantum cenestesis et imaginatio. — Reditus ad salutem possibilis.

Gradus secundus.

Symptomatibus praecedentibus accedunt, vel etiam illico comparent sequentia; clamores dolorifici, ferini; imperfecta sui conscientiae amissio; interdum perfecta abolitio; facies tumet, collum immodice elatum, cordis ictus violenti ac tumultuarii, musculorum motibus obtemperantium contractiones voluntatis imperio non amplius subjectae; convulsiones generales terrificae, conatus extraordinarii a pluribus repressi hominibus; motus flexionis atque extensionis magni, sputa frequentia, interdum aliquantulum spumosa, sed neque spumat os, neque introflectuntur pollices; suffocatio saepius imminens, respiratio et circulatio fere suspenduntur. Nunc aegrae subsiliunt in lectulo, nunc rigiditates fere tetanicas offerunt; interdum syncopes longae, vel sensus atque motus amissio absque faciei pallore et extremitatum frigore; accessus ad plures potest protrahi horas. Post convulsionem statim ad se redeunt aegrotae.

Tertia Periodus.

Chronicae variorum organorum inflammationes, disorganisationes variae, et speciatim viarum digerentium, inde organorum respirationis, atque organorum parenchymatis symptomata gravia permulta, quae facile ob laesiones organicas organorum percipiuntur, in cursum veniunt.

Reditus at salutem fere impossibilis.

In hysteria reditus ad salutem possibilis, ast raro ad perfectam valetudinem.

De Exitu hypochondriae et hysteriae.

Georget de istorum morborum exitu sequentia habet. „ Cum aegri leviorem nutrimentorum copiam „ sustinere nequeunt, quin vomitu corripiantur, tempo-„ ris progressu in maciem atque marasmum delabun-„ tur. „

Hoc in casu ventriculus organicam patitur adfectionem, praecipue si ejectae substantiae nigricantes adparent, fuligini in aqua dilutae similes, et si aegrorum cutis sensim, sensimque colorem pallido-flavum assumit.

Praeterea cum palpitationes fiunt habituales in hy-

pochondriacis, cordis ictus magna percipiuntur extensione, et facies colorem rubrum, violaceum assumit, cum crura, nates et partes genitales aedematosae fiunt et augetur anxietas, uno verbo, cum cor est organice adfectum, summo in periculo aegri versantur.

Georget adjungit „ Nonnulli aegri pereunt ob „ chronicas cerebri, pulmonis atque cordis adfectiones. „ Tales desorganisationes lente fiunt et per annos pro- „ trahuntur, priusquam aegros ad interitum ducant. „ Alii juxta illum, rationem amittunt et in vesanias „ incidunt. „

„ Hysteriasis, sequitur Georget, distensiones con- „ vulsivas permanentes, spasticas partium nonnulla- „ rum retractiones, paralyses partiales saepius incom- „ pletas sensuum aut motuum voluntariorum, statum „ melancholicum manifestum post se trahit. „

Aetiologia.

Causae disponentes. — Hypochondria a falsa energiae moralis directione originem suam repetit; hinc illuc invenitur ubi una cum climate, politicae institutiones, populares situationes huic favent energiae, atque tali pacto formalem praedispositionem determinant. — Hysteria operationibus spiritus magis extranea videtur.

Hypochondria in temperatis regionibus et in regionibus frigido-humidis dominatur, et ut verbis Hoffmann utar, *in aeris frigida constitutione; in regionibus quae ad septentrionem vergunt;* quia cum homo primis vitae necessitatibus superior evadit, illius intellectus gradum altiorem educationis atque activitatis requirit, et laesionibus moralibus praedisponitur. Hysterismus e contra, modus innervationis vitiatus, in calidis regionibus sese manifestat, quae tam valide constitutionis nervosae evolutioni favent.

Regimen politicum insignem in adfectionum hypochondriacarum evolutionem influxum exerit; rei familiaris administratio non minus in hysteriaseos augmentum confert, et caeteris paribus, quo magis haec administratio erit dissoluta, eo major hystericarum numerus.

Hypochondria potius sensualistas corripit; homines

illos, inquit Rousseau, qui vitam praediligunt et eam relinquere metuunt.

Mysticismus phoenomenorum hystericorum evolutioni favet.

Professiones quae majus studium quam regularitatem, majores sollicitudines quam solatium exigunt, in morbis hujusce generis sunt magis foecundae et speciatim si in cursum procellosum eos ferunt, qui illas colunt. — Milites, nautae, negotiatores, cum perfecta quies illico eorum agitationibus succedit, fiunt saepe hypochondriaci; et revera, eventus belli, navigationis pericula, extensi commercii opera, sunt totidem stimuli quibus indiget spiritus; et haec necessitas adeo fit imperiosa, ut cum homo hunc attigerit finem, quem tantum exoptaverat, quietem, in tristem delabitur hypochondriam. Inter professiones quae magis mulieribus conveniunt, alterae ad physicam fere completam inactionem eas damnant, alterae impressionem in illarum systema nervosum exercent; in ambobus casibus dispositio ad hysteriam est perspicienda.

Haereditaria dispositio magis in histeriasi quam in hypochondria fit manifesta.

Hypochondria illos praecipue homines corripit, qui ad altioris evolutionis intellectualis aetatem pervenere; hysteriasis intra pubertatem et menstruorum cessationem urget.

Quoad sexum homines facilius fiunt hypochondriaci quam foeminae, istae fiunt solummodo hystericae.

Temperamentum in hypochondriae evolutionem ambiguum exerit influxum, dum hysteria fortiorem in nervosa constitutione praedispositionem quidem agnoscit.

„ Quod attinet ad mulieres, inquit Hoffmann, „ morbo hysterico prae aliis subjectas et obnoxias, „ notari meretur, non omnes cujuscumque aetatis, temperamenti ac vitae instituti, id genus morbi pati, „ sed praecipue virgines sensibilioris et tenerioris naturae, viro maturas, idem viduas et foeminas conjugatas, neque minus molliter in otio educatas, texturae tenerioris atque gravius illo vexari.„

Quoad nutrimenta, observatio atque ratio comprobant, quod genera varia nutrimentorum, insigni non

polleant influxu in hypochondriae evolutionem, dum nervosa constitutio, quae arctius symptomatibus hystericis cohaeret, valde frequentius praedisponitur, propter regiminis errores, in mulieribus vitam otiosam degentibus.

Animi pathemata, masturbatio diu continuata ad ipochondriacas adfectiones disponit, quia ad vitam sedentariam perducit propter meditationem de seminis jactura, de vitiato temperamento, et tandem quod efficit, ut talia individua continuo de propriis organis occupentur.

Causae occasionales. — Vivae morales adfectiones profundae, subitanae, quae in systema nervosum universum agunt, atque in omnia hominis organa, quas anima non potuit percipere, quaeque tandem majorem habent cum innervatione quam cum intellectu relationem, sunt causae occasionales hysterismi, dum earum influxus in immediatam hypochondriae evolutionem parum est manifestus.

Vigiliae protractae systema excitant sensiferum et hinc hysteriasi favent: studia nimia aut praematura, aut invita Minerva, aut coacta, similes exerunt effectus. Menstrua suppressa aut retenta sunt quoque hysteriae causa.

Libri qui symptomatibus hypocondriae originem praebere valent, falsas exhibent ideas, chimaericos gignunt timores, uno verbo loquuntur ad spiritum; libri e contra qui hysteriaseos accessus determinare queunt, sensationes excitant, constitutiones jam praedispositas vehementer excutiunt, uno verbo ad organa loquuntur.

Georget causam hypochondriae in mulieribus adsignat venustatis amissionem, annorum successionem.

Commoratio atque confabulatio cum hypochondriacis favet hypochondriae; adspectus prima vice mulieris hystericae hysteriasi favet, et quo fortior atque magis terrificus accessus, eo facilior et promptior communicatio.

Indoles morbi

Hippocrates loquutus est de hypochondria, non autem ut hodierna die intelligitur. De morbis muliebribus, si fides Mercuriali est habenda, non pertractavit.

Galenus vera hysteriaseos symptomata designavit, atque ordinem evolutionis eorum.

Aetius prima symptomata quae in viis digerentibus locum habent, nec non aegrorum vigilias optime delineavit: „ Somni parvi, inquit ille, divulsi, insom-„ nia turbulenta et vibrationes corporis aliae, alias „ capitis vertigines, et flatuum sonitus circa aures. „ Eorum descripsit timores: „ non pauci ipsorum mor-„ tem timent, et alia quaedam nullo timore digna.

Aetii laudibus est efferenda de hysteriae effectibus descriptio, punctum originis agnovit, et spasmorum propagationem propter consensum, qui omnia nectitur organa explicavit: „ Uteri strangulatio, ait au-„ ctor, ab utero quidem inferne oritur, verum super-„ nae partes et principales praesertim, per consensum „ afficiuntur, nam ad cerebrum per nervos adfectio „ transit, videturque uterus veluti ad supernas partes „ ascendisse. „

Avicenna putat quod hepar et lien humores secernant, qui morbum producere valent.

Hypochondriae symptomata exacte ab ipso delineantur, sed ad periodum valde evolutam hypochondriae sunt referenda: „ Sunt quidam quibus accidit „ dolor stomachi cum comedunt, et sedatur post con-„ coctionem, et eorum plurimi sunt melancholici, et „ patiuntur melancholiam hypocondriacam, sunt adhuc „ quidam quibus accidit dolor in fine spatii comprehen-„ sionis cibi in stomacho, et his dolor non sedatur do-„ nec evomuerint humorem. „

Sennerto in ramis venae portarum majoribus, in ramis trunci caeliaci ac arteriarum meseraicarum sedem hypochondriae posuit. Hysteria ipsi videtur: „ gra-„ vissimus et mirandus adfectus, qui non solum ae-„ grotantibus, sed medicis saepe et adstantibus timo-„ rem incutiat. „

„ Nos, sequitur auctor, unicam et proximam cau-„ sam esse statuimus, subtilissimum vaporem vel spi-

„ ritum malignum et venenatum, per arterias, venas, „ et nervorum genus ad superiores partes elevatum, „ earumque actiones varie laedentem. „

Juxta Hygmorum, sanguis subtilis qui facile rarefit, in pulmonibus atque in cordis cavitatibus congeritur, hinc pectoris et gutturis constrictio, dyspnoeae, palpitationes etc. quae ipsi hystericae adfectionis essentialia videntur. — Quoad hypochondriam, ab organorum digerentium debilitate derivat.

Sydhenam causam spasmorum proximam tam in hypochondria quam in hysteria vel melius in adfectione hysterica, in inaequali spirituum animalium distributione reponit, et haec laesio saepe ab horum spirituum debilitate pendet.

Hoffmann de hysteria loquens, ita se exprimit: „ Nos cum antiquissimis medicis, symptomatum hy„ stericorum primam originem ab utero, ejusque mem„ branosa et vasculosa substantia et vasis ad illum spe„ ctantibus, imprimis spermaticis petendam esse, fir„ miter persuasi sumus, quarum partium spasmodi„ cae constrictiones, postea in nervos vicinos ossis sa„ cri, lumborum sese insinuant, et ob consensum to„ tius medullae spinalis, nerveas membranas gradatim „ occupant, a partibus inferioribus ad superiores sen„ sim paullatimque se propagando. „

„ Sedes vero morbi hypochondriaci, sequitur au„ ctor, non est in liene, non est in vena porta, sed „ in canali illo alimentari membranaceo ac valde ner„ voso, qui ventriculum ac intestinorum volumen con„ constituit. „

Cullen definivit hypochondriam morbum a statu peculiari spiritus designatum, qui saepe, non vero semper, a spasticis symptomatibus variis comitatur. Status ille spiritus primitivus vel idiopathicus, modificatio animae impressa esse videtur a mala solidorum ac fluidorum dispositione, et haec organismi dispositio, vel peculiaris temperamenti vel aetatis effectus est habenda.

Causam autem proximam hysteriaseos, in systematis uterini mobilitate, nempe in peculiari incitationis statu collocandam esse censet, et adjungit sibi impossibile videri definire, utrum haec incitatio a statu plectorae generalis vel ab uteri congestione dependeat;

2

juxta illum fere omnibus in casibus oeconomiae plectora, vel saltem turgor uteri non deest.

„ Hypochondria, juxta Georget, est morbus lon„ gae durationis, absque febri, eo magis dolorificus „ quam periculosus, qui primitus a cerebri adfectione, „ quae ad alia organa diffunditur pendere videtur, de „ cujus indole nil certi scimus. „

Encephalon, sequitur auctor, primum ac praecipuum hysteriae centrum constituit: „ At si prius sys„ tema nerveum cerebro-spinale tantum saepius ad„ fectum videtur, certum est quod imposterum sys„ temata nervosa atque thoracis et abdominis viscera, „ sedem laesionum, quae practici attentionem sibi „ vindicant, frequentius sistunt. „

Gerard hysteriaseos ac hypochondriae sedem in encephalo et in nervis pneumo-gastricis reponit, dummodo istae adfectiones in statu verae ac primitivae sensibilitatis inveniantur, dummodo nempe a causis moralibus ortae sint, a quibus frequentius originem ducunt.

Idem auctor de istorum morborum indole verba faciens, ita se exprimit:

„ Ego hysterismum atque hypochondriam mor„ bos irritativos considero, et irritationem quae eos „ constituit, sicuti innervationis excessum, quod a ce„ rebro ad nervos pneumo-gastricos, et ab ipsis ad or„ gana in quae proserpunt transit, et cum plexibus „ magni sympathici uniuntur. Haec irritatio in sua ori„ gine est simpliciter nervosa, ut horum morborum „ prodroma, atque eorum decursus comprobant, sed „ si paullulum durant, charachterem nerveo-sangui„ neum induunt, nam liquidorom collectio et conge„ stio in organorum textibus per aliquod tempus ex„ cedenti stimulo nerveo expositorum supervenit. Tunc „ morborum signa mixtum vel complicatum adsu„ munt adspectum, nempe perturbatio in circulatione „ atque in innervatione percipitur, idest nerveo-san„ guinea congestio. „

Dubois asserit quod in hypochondriae primordiis potentia intellectualis causam proximam symptomatum sistit, quae organorum functionem vi vitali subjectorum laedit; ipsa digestionis functiones perturbat atque vitiat; cuncta in suis operationibus in se vertens, eo-

dem modo ictuum cordis rhythmum laedit, molestam efficit respirationem, sensationes excitat dolorificas, et tandem organa nevrosi corripiuntur, et nevroses organicas pariunt laesiones.

In hysteriasi e contra, vis vitalis supra normam in organico adparatu incitata, in axim cerebro-spinalem reagit; ipsa propter violentum influxum, nunc facultates morales extollit, nunc intellectus operationes suspendit, et sympathice convulsiones in músculis motibus inservientibus provocat; ipsa tandem interdum influxum nerveum tali pacto imminuit, ut asphyxiam producat, atque paralyses retractionesque spasmodicas plus minusve graves et duraturas relinquat.

Centrum originis hujusce adfectionis, in utero, juxta illum, est inquirendum. Natura primitivarum laesionum, quibus hoc organon adficitur, simplex videtur irritatio nervosa, quae sufficit ad omnia fere symptomata generalia determinanda propter uteri nexum cum tota oeconomia, et propter hujusce laesionis omnino validae ac specialis naturam.

Prognosis.

Periculum magnum non imminet, ast morbus difficulter sanatur, molestus est, taedium affert medico ob varietatem symptomatum et ob aegrorum querelas. Si causae disponentes praevalent, praecipuae haereditaria dispositio, tunc prognosis parum fausta quoad sanationem: si vero causae occasionales praedominant, tunc magis sperare licet; cura physica, occupatione mutata, aut climatis, habitationis, aliarumque circumstantiarum mutatione, matrimonio etc. morbus haud raro fugatur. Accessus hypochondriae saepius intra minutum sanatos vidimus, si aeger ita concupivit et etiam fecit, aut post nuntium laetum inaspectatum. Etiam medicamina materialia haud raro juvant: nonnunquam hi morbi etiam crisibus evacuatoriis sanantur: e. g. haemorrhoidibus fluere incipientibus. Quo diutius vero morbus duravit, quo magis eradicatus est, quo plures accessus facit, quo magis alteratio organica jam adest, eo difficilius sanatur, faciliter tum in alios morbos transit e. g. in vesanias, tunc certe parum sperandum. In epidemias febriles acutas praeprimis exanthematicas, hypochondriacis et hystericis parva pro-

matas est, si choleram excipias: in hanc etiam faciliter incidunt, partim quia et ipsa similia symptomata prodit, partim ob timorem.

Therapia.

Horum morborum therapia certe omnium difficillima est; methodus heroica non juvat, imo nocet; multa medicamina non requiruntur, imo sine medicaminibus hos morbos hinc inde sanatos videmus; ast cura psychica requiritur, nam hi morbi vesaniis proxime accedunt, ergo analogo modo sanentur oportet. Valet axioma in his morbis pro medico semper in animum sibi agendum esse. Baglivi paucis hocce suadebat; magis in animum quam in corpus agatur, ipse dixit. Hoc prodit ex indicatione causali; ast prodit etiam ex indicatione contra morbum in prima periodo; attamen etiam serius, ubi jam morbus materialis adest, cura psychica parem adhuc dignitatem habet ac physica, imo in ultimo stadio, sub vitiis organicis aegrum consolari et ipsi spem fovere oportet.

Cura causalis in hysteria requirit ut omnes vitentur occasiones, quae immaginationem extollere valent, passiones excitant, chimaeras et illusiones progignunt.

Quoad regimen somaticum praecipue victus est respiciendus, nam admodum variabiles sunt hocce respectu; uno alterove die nil comedunt, alias nimis, ut hystericae, aut pravam ciborum qualitatem praediligunt, aut incongruo tempore pascuntur e. g. noctu. A potubus quibusdam ut coffea, the atque liquores alcoholici se abstineant.

Adeant lectulum cum somnus imminet, vix expergefacti surgant, ut somnia periculosa imaginationis vitentur. — Ut vero medicus regimen tum psychicum tum somaticum rite coerceat, aegrorum confidentia opus habet quam conservare arduum est, propter eorum versatilitatem. Medicorum et pharmacorum cupidi sunt, quare omnes advocant medicos, et revera quisquis novus medicus miracula facit, quod vero non ipsi, neque medicaminibus adscribendum venit, sed naturae morbi; post aliquod vero tempus, semper aliquid incongrui in medicamine et in medico detegunt,

quare alium iterum adeunt, plerumque clanculum. Ergo medicus eorum versatilitati satisfacere debet; attamen ne omnia ipsis credat, nam ipsi sciunt se res exagerare et tunc statim confidentiam perdunt; pejus vero est ipsis contradicere, praecipue si medicus junior est, si pro minus experto ab aegris habetur. Ergo prudens sit medicus requiritur, exaudiat aegrorum querelas, ab initio non ipsis annuat, neque contradicat, neque eos nimis consolari studeat. Bene attendat hos aegros multos libros legisse, et cum medicis multum versatos esse, eorumque quaestionibus exacte respondeat, aliter confidentia amittitur.

Curam physicam arbitrariam plus minusve facere potest, nam confidentia plus valet quam medicamina, semper aliquid praescribat, aliter alios adeunt medicos, saepe agyrtas; parva praescribat dosi; hoc enim ipsis placet, quare et homeopathia ipsis arridet et saepe etiam juvat, quod pro parte et diaetae quam praescribit, et confidentiae in medicum ipsum attribuendum est.

Juvat valde motus, quia attentionem distrahit, digestionem promovet, stases solvit, instinctum sexualem imminuit, somnum invitat. Sydenham revera asserit, quod eadem vi, qua mercurium in syphilide, chinachina in febribus intermittentibus pollet, ita in hypochondria equitatio.

Itidem Baglivi corporis exercitium valde commendat; itinera in exteras regiones, venationem in loca amoena, rura colere, equitationes frequentes suadet.

Altera indicatio est nimiam sensibilitatem imminuendi, praecipue sub accessu; huc pertinet psychica et somatica. Ad ultima spectant balnea tepidula emollientia, cataplasmata, et omnia narcotica prudenter adhibita, antispasmodica et omnia sic dicta antihysterica.

Ita Lenhossek belladonnam in hysteriasi ac hypochondria mere dynamicis commendat. Sed hisce in casibus, magna requiritur prudentia, quo major systematis nervosi receptivitas; quare ipse Lenhossek a minimis dosibus, ab octava, duodecima grani parte incipiendum esse sensim sensimque ascendendo suadet.

Ad opium quoque confugere possumus in hysteriasi, cum accessus admodum violenti, continui, per-

tinaces et speciatim dolorifici fiunt; tunc agit opium symptomata leniendo et uti palliativum remedium; ast parca manu porrigatur oportet; namque statim sequitur illius impressioni habitudo, hinc dosim rapide augendi necessitas, ex quo facilius organisatio nervosa alterari potest. Libentius forma tincturae praediligitur et cum castoreo, valeriana copulatur.

Digitalis illis in casibus juvabit cum congestiones ad hepar, ad lienem, et ad glandulas meseraicas adfuerint.

Conium maculatum valet praecipue ad accessuum reditum praecavendum.

Valeriana validum praestat in hysteriasi auxilium, quae vel per spasmos in sensuum organis, vel per convulsiones, vel per dolorum accessum sese manifestat, et juxta Jahn opinionem fortius agit cum cerebrum atque sensuum organa adficiuntur.

M. Herz oleum animale Dipellii utile speciatim in hystericis convulsionibus musculorum voluntati obtemperantium invenit, in membrorum tremoribus atque in cephalea. Potest etiam in hujuscemodi affectionis cura radicali contribuere cum de sic dicta *histeria cum materia* agatur, hinc cum congestionibus, cum processu vegetationis in organis abdominalibus abnormi conjuncta, cujus symptomata majoris sunt durationis, quibus in casibus cum assa foetida copulatur. Iisdem sub circumstantiis, nunc sicuti palliativum, nunc veluti radicale remedium in hypochondria porrigitur.

Castoreum hysterismum dynamicum tantum vincere valet, nunquam illum qui a causis materialibus, a vegetationis alterationibus et ab infarctibus pendet. Melius convenit si hysteriasis sub spasmi abdominalis forma sese manifestat, si ex uteri systemate evolvitur, et vel abnormitas in menstruis, vel in functionibus sexualibus erethismus adsint, minus vel nil in individuis tenerioribus, irritabilibus ad phlogoses dispositis.

Cum summi Baglivi verbis concludam:

„ Caeterum, inquit ille, in hujuscemodi aegris cu-
„ randis, praestare maximopere debet medicus, ut
„ quaecumque remedia aut praecepta curationem spe-
„ ctantia aegroto proposuit, ea tali arte et intrepida di-
„ cendi libertate, proponat, qua illum ad patientiam
„ et tranquillitatem componere, et ad summam me-

„ dicamentis praebendam fidem hortari valeat. Si quidem vix fateri possum, quantum verba medici dominentur in vitam aegrotantis ejusque phantasiam transmutent; medicus namque in sermone potens, et artium suadendi peritissimus, tantam vim dicendi facultate medicamentis suis adstruit, et tantam doctrinae suae fidem in aegro excitat, ut interdum vel abjectissimis remediis difficiles morbos superavit, quod medici doctiores, sed in dicendo languidi, molles ac pene emortui nobilioribus pharmacis praestare non potuerant. „

THESES

I.

Cerebri emollitio in cadaveribus inventa non semper phlogosis exitus est consideranda.

II.

In nonnullis cerebri affectionibus, sensibilitas longius quam motilitas persistit.

III.

Mechanica pressio marginis interni primae costae in pulmonum summitatem, potest ne aliquem exerere influxum in tam frequenti tuberculorum in hac regione evolutione?

IV.

Consuetudo non tantum in functionibus animalibus, verum etiam in functionibus organicis imperium exercet.

V.

Pulmo sub respirationis actu atque in haematosi activus.